



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Verùm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

**A**nte litem contestationem dominus Procuratorem (nisi in rem suam datus sit) liberè reuocare potest; non item post litem contestatam, nisi rationabilis reuocandi causa subsit, vt quia inimicus domini redditus, vel alia ratione suspectus est, aut aduersarij affinis, vel hæres factus; item si eum Religionè ingredi, in longinquas terras abire, ægritudine aut vinculis detineri contingat. Consentit l. ante litem, 17. & seqq. ff. de Procurator. & l. procuratoribus, 22. C. eod. Veruntamen procurator, si domino, etiam post litem contestationem remouere volenti, resistat, & operam suam inuito ingerat, eo ipso suspectum se reddet. Quare ad hoc tantum petere potest, vt causa remotionis cognoscatur, vt famam suam illæsam cõseruet, l. quæ omnia, 25. ff. eod. Quòd si verò aduersarius, quocum lis contestata vel aliter inchoata est, procuratorem mutari nolit, tum causa cognoscenda erit ad hoc, vt appareat, remoueri procurator debeat, necne, sicuti Gl. docet, ver. suspectum,

**P**orrò si procurator absque culpa sua remoueat, præter alias expensas etiam salarium præstandum esse, docet Bartol. in l. post litem, ff. eod.

**C**orollarium. Neque ipsemet procurator recedere potest post litem contestationem, nisi necessarium impedimentum accidat, sicuti notat Gl. Ioann. Andr. in c. seq. ver. suspectum. Sed ante litem contestationem, ad eoque dum res integra est, procuratorem resignare potest: nisi reus pro procuratore sciente & non contradicente satis dederit, seu fideiussit iudicatum solui, tunc cogitur procurator ad iudicium accipiendum, seu litem contestandam, l. si defunctus, 15. ff. eod.

Porrò quomodo iudicij instantia, seu litem prosecutio, à procuratore, quocum lis contestata erat, in nouum procuratorem, vel ipsum dominum per se agere volentem transferri possit, explicat Bartol. in l. mutari, 24. ff. eod. Ancharan. hic not. 3. Videlicet vt noua litem contestatio fiat, secundum Gl. margin. cit. l. mutari. Vel vt procuratorius instantiæ alteri cedat, l. in causæ, 26. §. Si ex parte, iun. Gl. margin. ff. eod.

## §. Verùm.

**T**amet si procurator, quocum lis contestata est, non remoueat, potest tamen ipse dominus vnà cum procuratore iudicio adesse, præsertim si collusionem aliquam fieri suspicetur. Quærit Gl. hic, ver. adesse: Ad quidnam profit domino, si in iudicio cum procuratore adsit. Respondet, Quia testes, & probationes adducere poterit, quas procurator omitteret: Vel ipsemet procurator testes & probationes, quas dominus volet, exactè produci curabit. Vide Baldum in supra cit. l. procuratoribus.

**Q**UÆRIBUS denique: Quid si dominus ante latam sententiam moriatur, finiturne mandatum procuratoris: aut, si non finitur, cuius vicem seu locum ille gerit? Respondeo ex l. nulla, 23. C. eod. Per mortem domini, procuratoris mandatum, & litem instantiam non finiri. Quare si sententia contra eum formanda erit, tanquam contra procuratorem hæredis, formanda erit, sicuti Baldus monet cit. l. nulla, n. 5.

## CAPITVLVM III.

## Is qui.

**P**rocurator qui per facultatem à domino acceptam alium sibi substituit, reuocare non potest substitutum, postquam is mandatum suscepit. Præterquam si procurator etiam reuocandi potestatem à domino acceperit. Tamet si aliud dicendum sit de delegato Sedis Apostolicæ; quippe qui causam à subdelegato arbitrato suo reuocare potest, si res adhuc integra sit, c. quamuis, 6. de offic. delegati, in 6.

Rationem discriminis inter procuratorem & delegatum Sedis Apostolicæ dare possumus ex doctrina Laurentij apud Zabarell. in Clem. vii. col. 5. de Procur. Quia delegatus potestatem subdelegandi habet à lege. At verò procurator ad lites substituendi facultatè à lege non habet, ante litem contestationem, sed eam ab homine accipit. Quamobrè, si solum substituendi, non etiam substitutum

Hh hhh

reuo-